



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Parallela Geographiae Veteris Et Novae

Briet, Philippe

Parisiis, 1648

§. 2. De origine huius Maris.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13147

Tertium NIGRUM mare, meminit huius vocis Appianus in Mitrid. Cuius coloris causam alij referunt in profunditatem, alij in aërem illic caliginosum. Hoc tamen negat Aristoteles dum quærit in Problematis, quare *Euxinus sit Ægeo candidior*.

Quartum CAVCASIVM apud Apollonium lib. 4. quoniam inquit Iornandes in Gothicis in illum Cauensus mons excurrit ad rupem *Marpesiam*.

Reliqua nomina eius sunt *Scythicum*, & *Sarmaticum*, Ouidio & Valerio: *Amazonium* Claudiano: *Cymmerium* Herodoto: *Ponticum* Plutarcho & Tacito: *Tauricum* Auieno: *Colchicum* Straboni: *Phasianum* Aristidi: *Tanaïs* Gothis apud Procopium. Vide Theaurum Ortelij.

§. 2. De origine huius Maris.

QUIDAM eius maris aquas ex Oceano per Fretum Gaditanum accersebant ut supra monuimus. Nunc quærimus tantum utrum Ægeum ex Ponto, an Pontus ex Ægeo existat.

Quod *Ægeum sit origo Ponti*, putant Dionysius, Mela, Macrobius, alique apud Eustathium: Strabo autem inconstanter locutus est.

Quod *Pontus aquis sufficias Ægeo* antiquior opinio fuit, & verior: sic enim censuit Herodotus, & eam sequitur Petrus Gillius in suo Bosphoro, testis *αὐτόθεν*. Ratio est, quia leuiores ut paleæ & ligna ex Ponto defluunt in Propontidem. Quam causam dum refundit Macrobius 7. Saturn. cap. 12. in aquam fluminum supernatantem Euxino, & in Ægeum influentem, se profitetur imperitum Philosophiæ. Rectè ergo apud Scythas *Palus Maotis* dicitur *Temerinda* hoc est Plinio teste *Mater Ponti*. Et apud Eustathium *Μῆτρα τῆ Πόντου Νυρίη Ponti*.

§. 3. De Euxini quantitate.

Hoc est, quæ sit eius Longitudo, Latitudo, Ambitus, Profunditas.

Longitudo, Herodoto in Melpomene est vndecim millium, & centum Stadiorum: licet multa falsa auctor ille supponat nempe *μακρότατον* eius esse à ostio Phasis ad Bosphorum. Themistius

Qij